

sicut tenemur vitare excommunicatum in omnibus, ita et suspensum in his, a quibus suspensus est; imo in cap. 4, § Laboret, de Pœnitent., dist. 6, num. 18, ait, gravius esse non vitare suspensum in his, in quibus suspensus est, quam non vitare excommunicatum, quia hoc posterius, *regulariter* (inquit) *est peccatum veniale; non evitare autem suspensum, vel interdictum, in quibus suspensus est, nemo dixit non esse mortale.* Sed contra hoc insto, quia Ecclesia non prohibuit directe fidelibus communicationem cum suspensio, vel interdicto, etiam in actibus, a quibus suspensus vel interdictus est, sicut directe prohibuit communicationem cum excommunicato. De hac enim posteriori prohibitione habemus multa jura, de priori vero nullum. Exemplo item id declarari potest, nam si interdictus ab ingressu Ecclesie violenter interdictum ingrediendo, et ibi audiendo Missam, non sunt alii prohibiti, quominus ibi esse possint, et eandem Missam audire; qui ibi sunt, non tenentur exire, vel divinum officium omittere, quia nullus textus est, in quo de interdicto hoc habeatur, sicut de excommunicatione. Et pari ratione, si interdictus celebret in Ecclesia, qui ejus Missam audiunt, per se loquendo, et secluso scandalo et cooperatione, non peccant, quia nullo jure prohibiti sunt, et alioqui actio illa per se mala non est. Ergo eadem ratione, si suspensus ab officio divino illud in Ecclesia canat, qui illud audiunt, contra nullum jus Ecclesiasticum operantur; ergo nec peccant, quia ex alio capite actio illa mala non est, per se loquendo. Denique ob hanc causam Ecclesiastica censura imposita est his, qui communicant cum excommunicato, scilicet excommunicatio minor, quam, vel aliquam aliam non incurrit, qui communicat cum suspensio, etiam in his, a quibus suspensus est. Si autem illa communicatio esset ab Ecclesia prohibita, et regulariter esset gravior culpa, deberet profecto eadem, vel graviori censura puniri.

6. *Dubii resolutio.* — Respondeo, in tantum esse præceptum fidelibus evitare suspensum in his, a quibus suspensus est, in quantum ex natura rei id consequitur ex suspensione ejus, quando non vitare illum, vel communicare cum illo tali modo, seu in talibus actibus, vel esset cooperari ad peccatum, quod ipse committit, agendo contra suam suspensionem, vel esset aliquid operari modo indebito, et sine his circumstantiis, quas talis

actus ex natura sua postulat, ut recte fiat; vel etiam quatenus ipse claves Ecclesie contemnit. Sic peccat contra claves, qui suspensus ab officio inducit ad celebrandum, vel ad ferendam sententiam in pœnitentiâ, vel externo foro; et qui suspensus a beneficio facit participem fructuum Ecclesiasticorum; nam et peccat contra justitiam, et contra obedientiam Ecclesie debitam; nam illa prohibitio indirecte saltem in eum redundat. Et hinc etiam verum est quod Navarrus ait, hanc communicationem cum suspensio regulariter esse peccatum mortale, quia moraliter non fit sine cooperatione cum illo ad peccatum mortale, nisi ex accidenti materia sit nimis levis.

7. *Quem favorem contulerit Extravag. Ad evitanda, communicantibus cum suspensio non vitando.* — Hinc tandem colligitur responsio ad difficultatem positam, quid nimirum contulerit Extravag. *Ad evitanda*, fidelibus per privilegium non vitandi suspensum non denunciatum; necessario enim dicendum est, contulisse ut propter commodum ipsorum fidelium nunc licite sint multae actiones suspensio non denunciato, si eas faciat ad petitionem aliorum fidelium, et propter eorum vel necessitatem, vel justitiam, quae antea ipsi non licerent. Inde igitur factum est, ut sic suspensus ab officio non sit omnino privatus jurisdictione in foro interiori, vel exteriori, sicut antea fuisset; si enim hoc concessum non est, inutilis plane est illa concessio, ut ratio facta convincit, præsertim supposito modo obligationis vitandi suspensum, ut explicuimus. Exempla vero hujus rei in superioribus tacta sunt in singulis suspensionibus, et latius dum ageremus de Excommunicatione.

## DISPUTATIO XXIX.

## DE ABSOLUTIONE, SEU ABLATIONE SUSPENSIONIS.

Supponimus suspensionem talem esse poenam, quae licet duret, tandem finiri et auferri possit, ut in ejus definitione declaravimus. Oportet autem præmittere distinctionem illam de suspensione, quae est pure poena peccati commisi, et de illa, quae tanquam propria censura ob contumaciam fertur, nam habent diversos modos cessationis, seu ablationis, et ideo de illis sigillatim explicabimus a quo, et quomodo tolli possint.

## SECTIO I.

Quomodo, et a quo auferatur suspensio, quae pura poena est ob delictum commissum.

1. *De suspensione ad certum tempus.* — *Corollarium.* — Dicendum primo est, suspensionem ad certum tempus latam, elapso tempore ipso jure tolli. Hæc est communis sententia juris Pontificii interpretum cum Glossa, in cap. Sacro, de Sentent. excomm., verb. *Per mensem*, et Glossa in Clement. 4 de Decimis, verb. *Donec*; Innocentii, Abbatis, et aliorum, in cap. Cum bonæ, de Etate et qualit., et D. Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 4, circa fin.; Navarr., cap. 27, num. 161 et 162; Angel., Sylvest., Armill., ac denique omnium Summistarum, verb. *Suspensio*. Et ratio manifesta est, quia suspensio vim habet ex prohibitione Ecclesie; sed prohibitio ad certum tempus facta ipso elapso cessat, quia non operatur ultra voluntatem prohibentis; ipse autem suam voluntatem definivit ad certum tempus; ergo, illo elapso, suspensio per se cessabit. Unde fit, ut, qui sic suspensus erat, possit deinceps, vel suo officio fungi, vel fructibus sui beneficii frui absque alia facultate, vel declaratione superioris, nam ablato impedimento, res per seipsam reducitur ad pristinum statum, et unusquisque, qui impeditus non est, uti potest jure suo. Diximus autem in superioribus suspensum non privari officio, vel beneficio suo, sed impediri quoad usum; cum ergo hoc impedimentum cesset elapso tempore, potest illo uti absque alia declaratione, ut iidem auctores, præsertim Innocentius et Abbas, annotarunt. Unde videntur etiam id intelligere in foro exteriori; est autem multo certius in interiori, ut ratio facta sufficienter declarat; quia nullum est positivum jus, quod specialiter obliget ad novam licentiam, vel declarationem a superiore petendam. In foro autem exteriori, præsertim quando suspensio est lata ab homine, videri potest necessaria (propter ejus satisfactionem) aliqua ipsius declaratio. Tamen, si ipse in sententia hoc non expressit, non est, cur hoc onus imponamus; satis est enim, ut, quando oportuerit, constare possit, usque ad elapsam tempus in sententia præfixum non coepisse eum, qui suspensus erat, uti rebus illis, seu actionibus a quibus erat suspensus.

*De modo computandi tempus suspensionis varia dubia.*

2. *Primum de inceptio temporis suspensionis.* — *Quid de suspensione duplici titulo.* — Nonnulla vero supersunt minora dubia explicanda. Primum est, quando incipiat hoc tempus talis suspensionis currere. Et dicendum est breviter, incipere ab eo puncto et momento, ex quo censura seu sententia suspensionis lata est, si sit suspensio ab homine, vel si sit a jure, ab eo tempore, quo delictum contra tale jus commissum est. Sumitur ex Glossa ult. cum notatione Archidiaconi, et Joan. Andr., in cap. Proinde, de Elect., in 6. Ratio vero est, quia censura statim operatur ac existit, secum enim affert executionem, cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat.; ergo statim incipit obligare, et ideo in illis quae ipso jure incurruntur, sæpe additur illa particula, *ex tunc, ipso facto*, vel quid simile; ergo ex tunc etiam incipit computari tempus, pro quo lata est suspensio. Sed quid, si is, qui sic suspenditur, pro eodem tempore simili suspensione ligatus sit? numquid incipiet ligari statim nova suspensione? Quibusdam enim visum est non incipere ligari secunda, donec tempus prioris finiatur, ne hac occasione leviori poena afficiatur, nam levius est eodem tempore privari eisdem fructibus vel functionibus duplici titulo vel suspensione, quam longiori tempore privari per singulas suspensiones sibi succedentes. Ita refert Zabarella in Clementina 2 de Magistris, et ex parte tenuit Abbas, in cap. Cum in cunctis, § ult., de Electione. Sed oppositum censeo verum, quod tenent Glossa, et Doctores in dicta Clementina 2. Et ratio est, quia sententia censuræ, vel jus statim infert suum effectum in subjecto capaci. Prior autem suspensio non reddit personam incapacem secundæ, ut dictum est; ergo non obstante prima, incipit statim currere tempus secundæ. Et sicut non est inconueniens, ut idem sit ligatus duplici suspensione, ita etiam non inconvenit, quod duplici titulo privetur eisdem fructibus vel functionibus. Quod autem inde fiat poena aliquomodo levior (id enim negari non potest) accidentarium est, sicut si contingat incidere simul in duas suspensiones ipso jure latas; tunc enim simul current, quia non est major ratio de una, quam de alia.

3. *Dubium secundum.* — *De cursu ejusdem temporis.* — *Resolutio.* — Secundum dubium

est, quomodo computari debeat lapsus seu successio illius temporis, id est, an continue, sicut naturale tempus elabitur, vel secundum aliquam moralem computationem. Nam videri potest hoc secundum, quia quando aliquid prohibetur fieri aliquo tempore, intelligitur de tempore habili, ut in eo talis actio fiat; tempus autem habile ad celebrandum, v. gr., vel ad iudicium ferendum, etc., non est totum naturale tempus continuum, nam celebrare licet tempore matutino, et non vespertino, et iudicium ferre licet diebus feriatis, non festivis, vel per diem, non autem per noctem: ergo. Nihilominus dicendum est, tempus illud secundum physicum et naturalem cursum continuum temporis computandum esse. Hoc est certum apud omnes, et constat ex usu; et quia nec moraliter nec prudenter posset aliter talis computatio fieri, et ideo in omnibus aliis legibus et pactis ita solent definita tempora computari. Unde ad rationem dubitandi dicitur in primis, in aliquibus suspensionibus quodlibet tempus esse habile ad functionem aliquam exercendam earum, quæ per suspensionem prohibentur; ut in suspensione a beneficio quodlibet tempus est aptum ad percipiendos fructus beneficii; et jus ad redditus ipsos quasi continue successu temporis comparatur, et eodem modo per suspensionem tollitur. In suspensione vero ab officio variæ actiones variis diei temporibus, et nonnullæ indifferenter in quolibet tempore fieri possunt. Quod vero aliquæ habeant certa et definita tempora ex Ecclesiæ consuetudine vel præcepto, nihil refert, tum quia id est accidentarium ad rationem suspensionis, cujus signum est, quia si suspensus ab Ordine celebraret hora vespertina, vel nocturna, dupliciter peccaret, et quia tempore indebito, et quia suspensus celebrat. Tum etiam quia, sicut Philosophi dicunt, quando accidens non potest inesse toti nisi ratione unius partis, tunc ab una parte simpliciter denominat totum: ita hic quamvis actio, v. gr., non possit exerceri nisi in una parte diei, ex eo quod prohibeatur in ea, prohibetur per diem, et proportionali modo per mensem, vel annum; atque ita totum tempus suspensionis vel prohibitionis continuum est.

4. *Dubium tertium.* — *Determinatio prædicti temporis.* — Tertium dubium est, quando vel quomodo terminetur tempus in suspensione præscriptum. In quo in primis dicendum est ad minimum necessarium esse, ut postremus

dies assignati temporis attingatur, ita ut si suspensio sit per mensem, ut in cap. 4 de Sentent. excom., in 6, durabit usque ad ultimum diem mensis; si per annum, ut in c. 4 de Sentent. et re judic., in 6, usque ad ultimum diem anni; et sic de aliis. Et ratio est, quia usque ad illum diem non est completum illud tempus. Dubitari vero solet, an dies ille debeat computari inclusive tanquam terminus intrinsecus, vel exclusive tanquam terminus extrinsecus; vel (quod idem fere est) an ille postremus dies debeat totus integerque in illo tempore computari, vel sufficiat illum attingisse. In quo aliqui simpliciter affirmant debere totum illum diem integrum includi in tali tempore; alii vero putant sufficere attingisse illum; alii distinguunt, nam si per accusativum fertur suspensio, ut, *sit suspensus per annum*, diem integrum debere computari, quia significatur tempus completum; si vero feratur in ablativo, ut, *sit suspensus hoc anno*, significari tempus incompletum, et ideo satis esse attingisse postremum diem.

5. *Dubii enodatio.* — Dicendum tamen est, quocumque modo feratur, significari tempus completum, quia suspensio includit negationem, et prohibitionem; quod autem prohibetur fieri, sive hoc die, sive per hunc diem, pro toto die completo prohibetur, quia negatio totum destruit; ita ergo in præsentis suspensionis unius mensis, aut anni, aut triennii, quibuscumque verbis feratur, complete durat pro tota illa mensura significati temporis; et illa completa finitur. Computatio autem fieri debet ab eo puncto, in quo fit delictum, vel sententia pronuntiatur, usque ad proportionalem horam, in qua dies naturalis, mensis, vel annus completur, sive illa sit prima pars alterius mensis, vel anni naturalis, sive media, sive ultima ejusdem; hæc enim omnia ad moralem computationem accidentaria sunt.

6. *Dubium quartum.* — *De computatione mensium.* — *Conclusio.* — Sed hic occurrit quartum speciale dubium de mensibus, quot dierum computandi sint, an triginta unius dierum, quia plures menses tot dies habent, vel tantum viginti octo, quia pœnæ sunt restringendæ, an triginta, quia est numerus medius, et quia vulgari modo ita mensis recipitur, an 30 dierum cum dimidio, quia est duodecima pars anni. In qua varii sunt et excogitari possunt dicendi modi, quos omitto, quia res videtur parvi momenti. Et breviter assero, si suspensio tantum sit unius mensis,

probabile esse 30 dies nomine mensis significari. Quod tenuit Joan. Andr., in cap. Quam sit, de Elect., in 6, ad Glossam, verb. *Mensem*, et habet fundamentum in jure civili, l. Miles, § Quidam, ff. Ad legem Juliam, de Adult. Et rationes factæ sunt probabiles, et alii modi non sunt verisimiles. Quia illa mathematica partitio anni, quæ fit in ultimo dicendi modo, extra communem loquendi modum, et extra rem moralem est, et vix posset exacte fieri. Alii vero duo primi modi nimium augent vel minuunt numerum sine fundamento. Adde vero etiam alium modum computationis esse probabilem, ut scilicet considerato die mensis, in quo fit delictum, vel suspensio inchoatur, tot dies in sequenti mense sumantur ad complendam mensis suspensionem, quot ex præcedenti transacti fuerant, quando incepit suspensio; sic enim complebitur mensis integer secundum ordinariam mensium divisionem; nec videtur posse certius computari. Maxime quia talis lex vel sententia loqui videtur de proximo subsequente mense. Solum potest ob stare, quia sequitur, mensem suspensionis semper esse tot dierum, quot habuerit mensis, in quo fit delictum, et consequenter suspensionem esse majorem vel minorem, solum quia sententia profertur, vel delictum fit in diverso mense. Sed hoc accidentarium est, et ideo nullum est inconveniens; maxime cum excessus tam parvus sit, ut moraliter non computetur. Unde in simili Juristæ dicunt, mandatum datum ad aliquid intra mensem agendum, esse illo modo computandum, ut patet ex Gloss. cit. in dict. cap. Quam sit. Adde vero, si suspensio sit duorum mensium, probabilem esse alterum saltem computandum esse 31 dierum, argum. l. Lex, ff. de Reg. jur., quia semper ita sibi succedunt. Si vero sit suspensio trium, vel plurium mensium, unus quidem computari poterit altero ex modis supra dictis, intermedii vero iidem sumendi sunt, qui naturaliter succedunt, quia hic est communis sensus, et loquendi modus; sicut etiam suspensio sex mensium intelligitur esse dimidii anni integri, prout menses succedunt a die inchoatæ suspensionis, argum. cap. Licet, de Suppl. neglig. Prælat.

7. *Dubium quintum.* — *De computatione anni in annuali suspensione.* — *De anno bissextili.* — Hinc facile definitur quintum dubium simile, quando pœna est unius anni, quomodo computandus annus sit. Dicendum est enim, ex quacumque parte anni suspensio

inchoetur, tantam partem ex sequenti anno adjungendam esse, quanta ad complendum integrum annum, id est, ex 365 diebus constantem, sufficiat. Sed quid de anno bissextili, qui habet 366 dies? estne eodem modo computanda suspensio in illum incidens? De hoc multa Summistæ, in verbo *Suspensio*, et in verb. *Ætas*, et Juristæ, in cap. Quæsit, de Verb. signific., et in l. Cum hæres, § Stichus, ff. de Statu liberi. Communis tamen sententia est in hujusmodi rebus odiosis et pœnalibus diem illum non computari, neque in anno, neque in mense; itaque si quis annalem suspensionem per 365 dies servet, in altera die jam poterit celebrare, etiamsi ille dies, non sequentis anni, sed ejusdem computetur. Sic enim dicitur in dict. § Stichus, si servo libertas concedatur sub conditione, *si per annum servierit*, illud non esse intelligendum de anno bissextili, sed de anno 365 dierum. Sic ergo in præsentis dicendum est. Atque ita sentit Sylvester, verb. *Ætas*, n. 5, et verb. *Suspensio*, num. 5, in fine, cum Abbate, et aliis quos refert, et cum Glossa in cap. 2, dist. 55. Quæ sententia confirmatur, nam quando suspensio unius anni in pœnam imponitur, intelligitur de anno communi et ordinario, non de extraordinario, tum quia hic est frequentior modus loquendi de anno; tum etiam quia in pœnis interpretandis benigniori semper interpretatione utimur; sed annus bissextilis extraordinarius est, alius vero communis et ordinarius.

8. *Cap. Quæsit, de Verb., sign. objicitur, et exponitur.* — Unde consequenter fit, si alicui pœna suspensionis mense Februario imponatur, et contingat mensem illum in anno bissextili evenire, expletis 28 diebus absolvi suspensionem, et die 29, jam ei licere eas actiones exercere, a quibus suspensus erat. Et pari ratione, si suspensio erat trium, aut plurium mensium, in ultimo die ultimi mensis jam non erit talis suspensus, quia eadem est proportio plurium mensium ad ultimum diem, quæ totius anni, ad ultimum diem anni. Et ratio utrobique est, quia dies ille vigesimus nonus, qui interpositus fuit, vicem ultimi supplevit. Quod si objiciatur prædictum cap. Quæsit, ubi dicitur, duos illos dies anni bissextilis quasi pro uno reputari, respondetur, omissis aliis interpretationibus, disjunctive, non conjunctive id esse intelligendum, id est (juxta materiam, de qua ibi agebatur), ut in altero eorum possit festum sancti Matthiæ celebrari, quasi pro

eodem reputari, non vero copulative, ut in uno et altero debeat festum illud celebrari, ac si esset unus tantum. Et simili modo, si alicui esset impositum onus jejunandi ultimo die Februarii, posset tunc in uno vel altero illorum dierum jejunare et implere obligationem, quia hoc modo pro uno reputatur, quia unus eorum tunc de facto est ultimus, alter vero est ultimus mensis ordinarii. Non vero teneretur ille jejunare utroque die, eo quod pro uno reputentur, quia hoc modo, scilicet conjunctim, non vere pro uno reputantur, nam revera sunt duo dies distincti, et in eis multiplicantur jejunia. Unde, quando pars Quadragesimæ in eum mensem bissextilem incidit, uterque dies per se numeratur ad complendum quadragesimum numerum. Et eodem modo recte dicunt communiter Doctores, quando aliquid præcipitur, vel conceditur fieri intra certum terminum dierum, tunc semper illos dies pro duobus computari, quia revera duo sunt. Sic ergo in præsentibus, quoad durationem suspensionis hi duo dies non computantur pro uno, sed pro duobus, nec pro utroque copulative, seu conjunctim durare debeat. An vero in gratis, seu rebus favorabilibus, quando per mensem, vel annum conceduntur, ita computari possint, alterius est considerationis.

9. *Quid de suspenso per mensem Februarii anni bissextilis.* — Dices: si illi duo dies distinctim pro eodem computantur, ergo ei, qui per mensem Februarii suspensus est, licitum erit eo mense bissextili non servare suspensionem die vigesimo octavo, sed vigesimo nono, ut alteruter eligi possit. Respondetur, negando sequelam; illud enim intelligendum est, nisi aliunde aliquid speciale obstat; hic autem obstat, quia tempus ad suspensionem præscriptum intelligitur debere esse continuum; hæc enim est communis juris intelligentia, ut generatim tractavit Jason in l. Contra majores, C. de Inofficioso testamento, n. 6, et ideo ne interrumpatur suspensio, non licebit tunc diem vigesimum nonum pro vigesimo octavo accipere. Sicut etiam, si suspensio sit annualis, non licebit in illa die vigesima nona eam non servare, eo quod in illo anno pœnali (ut sic dicam) illa non computetur, nec numerum dierum ejus augere debeat; haberent enim locum hæc rationes, nisi necessaria continuitas suspensionis obstaret; et ideo exceptio illius diei semper in ultimum diem anni vel temporis præscripti reservatur. Sicut etiam ob causam proportionalem, quam-

vis illi dies pro uno computentur, non est licitum die vigesimo septimo Februarii jejunare, et die vigesimo nono festum sancti Matthiæ celebrare, ut traditur in dicto cap. Quæsitum, quia obstat contiguitas, ut sic dicam, necessaria inter vigiliam et festum, inter quæ nunquam licet diem interponere, nisi dies Dominica intercedat.

10. *Suspensio ab homine pro anno bissextili, an comprehendat diem vigesimum nonum Februarii.* — Sed dices tandem, quamvis dicta resolutio vera sit, quando suspensio unius anni vel mensis in communi ponitur, ut est in his quæ sunt a jure, tamen, si suspensio sit ab homine, et signatim imponatur pro futuro mense Februarii, vel pro futuro anno, qui bissextilis est, tunc non habere locum interpretationem positam, quia jam sermo est de tali mense vel anno in particulari. Respondetur: si satis constaret de mente præcipientis, scilicet cogitasse illum de anno bissextili, et advertisse talem esse eum, de quo loquitur, et voluisse pro toto illo suspendere, tunc certum est ita esse servandam suspensionem, nam potest iudex ita obligare; unde, si de ejus mente constet, non est dubium, quin obliget. At vero, si de hoc nihil speciale constet, et alias verba sententiæ sint generalia unius anni vel mensis, quamvis dicatur, *primi sequentis anni vel mensis*, juridice erunt interpretanda juxta benigniorem sensum, ut scilicet sermo sit de proximo anno sequente ordinario, ut explicatum est.

11. *Quid si suspensio interrupta fuit.* — *Dubium sextum.* — *Primus dicendi modus.* — *Secundus modus.* — Sexta dubitatio circa hoc punctum esse potest, quando aliquis non servavit suspensionem toto anno vel mense sibi præscripto, quando et quomodo finiatur tempus talis suspensionis. Tres enim modi dicendi excogitari possunt. Primus est, ut et quo sic suspensus suam prohibitionem definito tempore continuo non servavit, iterum inchoare debeat suspensionem et servare illam toto præscripto tempore, neque in illo computanda sit pars illa temporis, in quo suspensionem servavit. Ratio esse potest, quia tempus suspensionis debet esse continuum, ut diximus; et ideo si semel interrumpatur suspensio, non potest prius tempus cum posteriori conjungi, sed debet iterum suspensio tempus inchoari. Sicut de anno probationis ad professionem requisito, ut ex communi sententia et praxi testatur Navarr., cons. 29 de Regularibus, sic ergo propter rationis

paritatem videtur in presenti dicendum. Secundus modus dicendi esse potest, tempus quidem illud, in quo, et pro quo non servatur suspensio, non computari, nec deservire, ut expleatur tempus suspensionis impositæ; tamen, si post illud suspensio servetur, debere hoc posterius tempus cum priori conjungi ad complendum suspensionis tempus; ut, v. gr., si quis per annum suspensus, post sex menses observatæ suspensionis, per unum aut duos illam violavit celebrando, etc., satisfaciet, si postea sex alios menses se abstinere, et sic compleat suæ suspensionis tempus; minori enim tempore non poterit satisfacere suæ obligationi, cum ea sit unius integri anni. Quod vero hoc sufficiat, patet, quia, licet temporis continuitas sit per se loquendo necessaria, ut debito modo impleatur suspensio, non est tamen ita necessaria simpliciter, ut si aliquo casu vel culpa interrupta sit, eam de novo inchoare oporteat; esset enim gravissimum onus et quoddam pœnæ augmentum, quod nullo jure ostendi potest.

12. *Tertius ac probabilior dicendi modus.* — Tertius et melior dicendi modus est, suspensio tempus continue fluere, ex quo inchoatum est, nec interrumpi propterea quod sic suspensus, vel casu aliquo, vel etiam ex malitia aliquid faciat contra prohibitionem ei factam, sed præscripto tempore finiri, licet interim non servetur. Explicatur, quia effectus proximus et immediatus suspensionis non est ipsa realis privatio actionum vel rerum; hæc enim sæpe pendet ex voluntate ipsius suspensi, cum tamen ipsa suspensio ab illa non pendeat; sed immediatus effectus suspensionis est obligatio ad se abstinendum ab illis actionibus, vel etiam inhabilitas et incapacitas earum, quantum ab Ecclesia vel fieri potest vel intenditur. At hæc obligatio vel inhabilitas continue manet in homine suspenso, etiamsi ipse violet suspensionem; cujus signum est, quia in eo, quod non servat, graviter semper peccat, vel etiam irregularis efficitur, si actio est ad illum effectum accommodata; vel si sit actio pendens a jurisdictione, et suspensio sit ab officio, est nulla; ergo suspensio ipsa semper ac continue durat, quantumvis suspensus contra illam agat. Ex quo ulterius fit, ut præscripto tempore finiatur, quia non plus durat, nec plus operatur, quam fuerit imponentis voluntas. Quia absolute illud tempus determinavit, neque addidit conditionem, ut si suspensionem violaverit, longiori tempore protrahatur suspen-

sio; non est ergo, cur nos illam adjungamus. Præsertim cum alia pœnæ vel impositæ sint ipso jure vel imponi possint a superiore violentibus suspensionem.

13. *Corollarium.* — Quapropter finito illo suspensionis tempore, non tenetur ille, qui suspensus fuit, tot diebus aut vicibus a suspensionis actibus abstinere, quot illos male exercuit dum fuit suspensus, quia prohibitionis tempus finitum jam fuit; sicut non tenetur quisquam, quasi per modum restitutionis exercere postea actum præceptum vel omittere prohibitum, quando id non servavit pro eo tempore, pro quo latum erat præceptum; ut qui non jejunavit in Quadragesima, non tenetur postea jejunare; vel qui uno die horas canonicas omisit, non tenetur alio eas repetere, quia, quando præceptum designat tempus, ut in eo terminetur obligatio actus, extra illud non obligat, imo nec impleri potest, ut attigit Innocentius, in cap. 1, de Celebr. Missar., et Sylvester, verb. *Jejunium*, num. 22, et alibi latius diximus. Solum est advertenda obligatio restitutionis, quæ interdum manet ratione rei acceptæ aut malæ acceptionis, quæ in presenti locum habet in suspensione a beneficio; nam, si quis eo tempore, quo suspensus fuit a beneficio, accepit fructus vel aliquam partem eorum respondentem cum proportione alicui parti illius temporis, tenebitur postea ad restituendos illos fructus, vel si aliter restituere non poterit, tenebitur tanto tempore abstinere a perceptione fructuum, quanto oportuerit ad illum effectum; illud tamen non est, quia suspensio duret, sed quia obligatio ad restituendum manet ex re injuste usurpata.

Quando suspensio tollatur per dispensationem.

14. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: suspensio ad certum tempus, vel etiam in perpetuum explicite lata, per dispensationem superioris tolli potest nondum elapso termino, vel licet illum non habeat. Prior pars certa est et communis. Et ratio est, quia temporis designatio, pro quo suspensio fertur, solum hoc operatur, ut talis pœna tanto tempore duret, si nulla causa superior impediens seu auferens illum intercedat, sed suo veluti ordinario cursui relinquatur; non tamen facit, ut talis pœna pro eo tempore irremissibilis sit, neque auferat a superiore potestatem solvendi subditum a tali pœna. Altera pars de perpetua suspensione eadem ratione cum